

COLLEGGII INSTITUTIONUM PUBLICI,  
DISPUTATIONEM TERTIAM

JURA POTESTATIS PATRIÆ

In genere  
*exhibentem*

ORDINE JCTORUM CONSENTIENTE,  
PRÆSIDE

MICHAELE FRIDERICO  
LEDERERO,

Doct. & Institut. Prof. Publ.  
*Publicè defendet*

GODOFREDUS SVEVUS,  
VVitteberg.

*In Auditorio Jctorum,*

ad d. Augusti



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS MEYERI, RELICTÆ VIDUÆ,  
ANNO M DC LXXII

iss. jur. civ.  
92,4

133.



FLORENTISSIMÆ AD ALBIM  
ACADEMIÆ

RECTORI MAGNIFICO  
DECANIS SPECTATISSIMIS  
SENIORIBUS VENERANDIS

Coeterisq; omnium Facultatum  
PROFESSORIBUS CELEBERRIMIS

Viris summè Reverendis Nobilissimis, Amplis-  
simis Consultissimis, Experientissimis,  
Excellentissimis

*DOMINIS AC BENEFACTORIBUS SUIS  
GRATIOSIS, PATRONIS OPTIMIS  
MAXIMIS*

Has studii Juris primitias

submissè offert atq; consecrat

Godofredus Svevus





COLLEGII INSTITUTIONUM  
PUBLICI  
DISPUTATIO TERTIA.

I.



**D**E personis potestati dominicæ  
subjectis actam hucusq; illæ ordine subsequun-  
tur, quæ nexu potestatis patriæ sibi invicem  
sunt conjunctæ. Ut autem methodo insista-  
mus Justinianæ, considerandum primò subje-  
ctum illius actuum æquè & passivum, deinceps  
origo, alterius affectus & tandem causa eam constituentes. Subje-  
ctum & quidem activum quod attinet, hanc potestatem Patri  
tantum propriam esse vel ex Rubrica tituli nostri abunde diluce-  
scit. Voce tamen patris non instructiori & naturali, quatenus  
illius nomine istantum indigitatur, ex quò quis immediatè pro-  
genitus, sed latiori & civili significatu, quò omnes ex linea pater-  
nâ ascendentes juxta l. 51. π. de V. S. notat, acceptâ. V. Dm. Mev.  
comm. ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 1. art. 5. n. 8. Et licet fortè aliquis plu-  
res habeat ascendentes, is ipse tamen omnium illorum potestati  
subjectus non est. Cum enim modis dissolvendi patriam potesta-  
tem nuptiæ nullibi reperiantur assignatæ, ideò nec filius eas con-  
trahens, utpote juri adhuc subjectus paternæ, eos quos progenit,  
in sua habere poterit potestate, quod nemo alienæ subjectus po-  
testati aliam sub suâ potestate habere possit arg. l. 118. π. de R. J.

TIT. IX.  
DE PATRIA  
POTESTATE,  
  
Ad Rubricam  
  
Subjectum  
patriæ pote-  
statis acti-  
vum,

II. Ulterius tamen ex Rubrica tituli nostri id dilucidè satis  
concluditur, matrem & reliquos in lineâ maternâ ascendentes  
nostræ potestatis in spaces esse §. 10. Inst. de adopt. l. 13. π. de suis &  
leg. hered. Dura omninò primò intuitu erga matres videtur Ro-  
mana hæc sententia. Præterquam enim, quod ille æquè ac patres  
paren-



parentum nomine veniant, in generandis quoque; educandis ac a-  
lendis liberis parem, quinimò majorem laborem ac sollicitudi-  
nem adhibere soleant. Unde Gregorius IX. Pontifex in c. 2. X. de  
convers. infidel. liberos matri ante partum onerosos, in partu dolo-  
rosos, post partum laboriosos esse asserit. Sed verò, utut hæc vera  
omnià sicut, & matri non secus ac telluri major gratia frugum ha-  
benda, quam aratori aut cultori; eapropter tamen cum Thoma  
Hobbes de cive c. 9. art. 3. & art. 7. imperium in liberos originale  
patri verò, non nisi derivatum transcribere non audeamus. Non  
quidem denegamus matri secundarium aliquod jus præessendi fa-  
miliæ, cum & ea ad rerum domesticarum administrationem &  
conservationem multum afferat laboris & industriæ; principa-  
lem tamen & supremam in familiam potestatem patri tantum  
vel ex eò propriam facimus, quod ipsi, ut marito considerato, in  
ipsam etiam liberorum; communium matrem potestas competat  
& proinde caput totius familiæ perhibeatur. Dn. Struv. Synt. jur.  
civ. exerc. 3. th. 35. Dn. Zigl. in not. ad Grot. lib. 2. c. 2. n. 1. Bachov. ad  
Trentl. v. 1. d. 2. th. 5. lit. B. Unde & Aristoteli Pater familiæ Rex  
dicitur VII. Eth. 12. I. Polit. 12.

III. Matri quoque; vel exinde imperium in familiam dene-  
gandum esse putat Ant. Fab. Jurispr. Papin. tit 8. pr. 1. ill. 2. quod per  
eam jura hujus & dignitas amplificari & augeri non possiat: cum  
fais eadem & initium familiæ cõmuniter dicatur. Neque; eos à verò  
adedò aberrare dixerim, qui peculiarẽ Romanorum constitutionẽ,  
cujus vigore fœmina nunquam sui juris, sed in perpetuã fuit tute-  
lã, tùm propter sexus infirmitatem, tum propter rerum foren-  
siam ignorantiam ad partes vocant. Ulp. fragm. tit. 11. pr. Exhinc  
Livius lib. 44. testatur, majores voluisse, nullam nec minimam qui-  
dem rem sine auctoritate fœminas agere potuisse, sed in paren-  
tum fratrumve aut liberorum potestate fuisse. V. Patr. Gregor.  
Synt. jur. univ. lib. 9. c. 5. n. 27. Quinimò cum fœmina contra pro-  
pria commoda plerumque; laborare censeatur in l. 4. C. de sponsal.  
multò minus aliis præesse legitimè eorumque; negotia moderari  
poterit. Sedenim dubium mover, quod patri furore correpto  
non denegeretur patris potestas l. 8. π. de his qui sui vel al. jur. l. 52 π. de  
A. vel. O. H. Cur itaque; matri sanã ratione prædita eandem subtrahit  
lex



lex civilis? Nimirum auctoritas paterna per furorem subsequen-  
tem suam non amittit efficaciam, & durum omninò esset, furore  
satis afflictum jure ipsi à naturâ & lege concessò privari. Utut  
patri titulo magis quam usu & exercitiò adus patriæ potestatis  
tribuatur, cum patri non modo juxta *l. 1. & 2. π. de curat. furios.* sed  
liberis quoq; interea temporis, dum pater furore affectus, curator  
assignatur *l. ult. C. de sentent. pass.* Georg. Acac. Eneck. de *privil.*  
*par. & lib. c. 5. n. 13. & seq.* Reverentiam autem & obedientiam  
utriq; parentum æqualem liberi præstare tenentur, cum utriq; ex  
generatione æquale jus in eos sit acquisitum: Mandatum quoq;  
divinum parentes indistinctè honorare ac colere jubeat. Neq;  
eidem liberi se subtrahunt, etsi sacris exierint paternis: quoniam  
hâc in parte lex divina, optimè juris naturalis interpret, nullum  
constituit discrimen, notante Dn. Zgl. *d. l. n. 2.*

IV. Subjectum patriæ potestatis passivum constituunt li-  
beri non quivis, sed legitimi tantum, i. e. à lege civili approbati.  
Hæc autem approbatio fit vel à sola lege, ut in adoptione, vel à na-  
tura in societatem legis adscitâ, & quidem vel ab initiò ut in na-  
tis ex justis nuptiis, vel ex intervallo, ut in legitimatione. Hillig.  
*Donell. enucl. lib. 2. c. 20. lit. D.* Nec obicem ponit *princ. nostr.* in quò  
Imperator illos tantum in potestate nostra esse constituit, quos ex  
justis nuptiis procreavimus: vel eam exempli saltem locò eos  
adduxit, vel ex nuptiis justis procreatus quis dici potest vel verè  
vel ex juris fictione. Anton. *Fab. 1. Jurispr. Pap. 8. pr. 2. ill. 1* Licet  
autem quoad parentes sexus discrepantia attendenda omninò sit,  
ratione liberorum tamen nil interest, siue masculini siue foemi-  
nini sexus iidem fuerint *l. 1. §. pen. π. de Tribut. act. l. 56. §. 1. l. 148. π. de*  
*V. S. ibiq; Gædd.* Neq; etiam differentia quæ ratione gradus ali-  
oquin inter liberos obvenit, hîc quicquam operatur; dummodò,  
in ulteriori quam primò gradu constituti ex filio non autem ex fi-  
liâ nati fuerint: hi enim sui patris, nequaquam avi materni pote-  
stati subjiciuntur *§. ult. b. t. & l. ult. C. de emanc. lib.*

Ad Principiâ  
Subjectum  
patriæ pote-  
statis passi-  
vum.

V. De cæterò in genere ad liberos, ut pro legitimis habe-  
antur & patriæ potestatis capaces censeantur, primò requiritur, ut  
sint nati intra legitimum tempus. Temporis autem hujus ter-  
minus alius est à quò, alium ad quem. Ille constante Doctorum sen-



teantiâ est septimus mensis, ex auctoritate Hippocratis l. 12.  $\pi$ . de Stat. hom. Forrè ex illa ratione, quia septimo mensi prima partus perfectio tribuitur. Arnal. de part. hum. leg. term. disp. 2. tb. 32. & seq. Et juxta hæc principia à Medicis & Physicis mutuata in judiciis communiter pronunciantur Carpz. J. F. p. 4. const. 27. def. 13. Dn. Richt. p. 2. decis. 89. Ad eò, ut nil interesse videatur, licet etiam partus septimestris à viduâ, quæ ad secunda transit vota, natus sit, uti præjudiciis id confirmant, Dn. Richt. d. l. & Hahn. ad Wesenb. de Stat. hom. n. 3. in verb: postquam nati sunt. Terminus autem ad quem est finis decimi & initium undecimæ mensis: ita tamen hic non à tempore mortis mariti prioris, sed conceptionis computetur. Rauchb. p. 2. q. 24. n. 5. & seq. Carpz. J. F. d. l. def. 15. Hanc tamen Doctorum sententiam dubiam maximè reddit Nov. 39. c. 2. in quâ manifestum & indubitatum censet Justinianus, undecimò mense parientem ex defuncto marito non concepisse. Sed verò dictæ Novellæ dispositio vel cum Cujac: ad d. Nov. ad casum quo partus sub finem undecimi mensis edisus, vel cum Arumæo p. 2. decis. 14. n. 81. ad jus ordinarium, ob decretum Hadriani teste Gell. 3. Noct. Attic. 16. diversim restringenda. V. Joach. à Beüft. de jure connub. p. 1. c. 36. Hahn. ad Wes. de stat. hom. n. 3.

VI. Quid autem si maritus vel ob invaletudinem vel ob impotentiam cum uxore non concubuerit? Res decisa est, in domo ita natarum, licet vicinis scientibus, filium non esse. l. 6.  $\pi$ . de his qui sui vel al. jur. Quid porro, si maritus diutissime per decennium forrè abfuerit & domum reversus anniculum invenerit? Dubios de hoc casu J. C. ros extitisse ex verb: d. l. 6. placet nobis Juliani sententia, non adeò obscure colligi potest. Verùm, cum quæstio hæc ridicula & domitiana videatur, ideò Bachov. comm. ad  $\pi$  p. c. Digest. tit. de adopt. rubr. de lib. leg. & illeg. n. 2. putat, Ulpianum aut nimis in sulsum aut jocatum esse & ludos fecisse. Alii vicissim, quibus durum quædantenus hoc de Ulpianò videtur judicium, corrigunt textum, pro decennium biennium vel duennium legendo: Quibus ex novioribus subscribit Amad. Eckolt. ad Digest. de his qui sui vel al. jur. §. 12. Sed eaim, cum emendatio rextus & correctio odiosa mihi perpetuò visa, idcirco aliam hujus dubii



dubii resolutionem ad partes vocare satius duso. Nimirum, sup-  
plenda d. l. 6. ex l. 1. §. 14. π. de agnosc. & alend. lib. eundem Julia-  
num, ad quem se refert Ulpianus, authorem agnoscente: casu se-  
quenti prius efformatō. Aberat Titius domō in nonum annum,  
& uxor illius ex eō tempore pragnans facta denunciat eidem se-  
cundū formam à Scto Planciano præscriptam, se ex iplo præ-  
gnantem esse. Maritus id non negavit, existimando forte, satis  
compertum esse, partum illum suum esse non posse suborta exin-  
de quæstio, an maritus ex dispositione dicti Scti Planciani par-  
tum illum pro suo agnoscere cogatur? Ratio dubitandi non in eō  
consistit, an naturaliter fieri possit vel non possit, ut uxor tam diu  
pragnans sit, sed quod maritus non negando partum hunc pro  
suo agnovisse videatur. JULIANUS autem tam in d. l. 6. quā in  
l. 14. decidit, satis injuriosum esse, si quid ex his, quæ Scto con-  
tinentur, omiserit maritus, eapropter natum in ipsius absentia  
ei suum heredem nasci. Præprimis, quod prædictō casu certum  
planè, filium esse adulterinum, decisio autem & observatio Scti  
tunc demum necessaria, quando res est dubia & inerta. Jul. Pac.  
7. enant. 31. Ant. August. 1. emend. 9. & Dn. Struv. ex 3. tb. 44.

VII. Alioquin certè pro natō ex Virō & Uxore tanta mi-  
litas præsumtio, ipsum legitimè natum esse, ut, licet mater adul-  
terii convicta, vel id etiam sponte facta sit, se filium, ex adulterō  
concepisse, ille tamen nihilominus pro legitimè natō habeatur,  
l. 11. §. 9. π. ad L. Jul. de adult. l. 29. §. 1. π. de probat. Covarruv. de  
matrim. p. 2. c. 2. §. 3. n. 8. Hillig. Donell enucl. lib. 1. c. 20. lit. G. Brun-  
neman. ad d. l. 6. π. de his qui sui vel al. jur. De cæterō, ulterius, ut  
liberi legitimi & proinde patriæ potestatis capaces dici merean-  
tur, requiritur, ut conversō more contra formam humani gene-  
ris non sint procreati l. 14. π. de stat. homin. l. 3. in fin. C. de posthum.  
hered. instit. Utut enim istiusmodi liberi ad pænam cœlibatūs lege  
Papæ propositam evitandam matri omninò pro sint, tum, quia  
non considerandum eō intuitu, quales, sed quoties peperit, tum  
quia pariendo, quantum in ipsâ fuit, legi satisfecit l. 135. π. de V. S.  
in præsentia tamen materiâ monstrosi seu contra formam ortus  
humani editi pro subjectis patriæ potestatis passivis non haben-  
tur. Joh. Coral. ad d. l. 14. π. de stat. hom. n. 3. Ant. Fab. 1. Jurispr.  
3. pr.



3. pr. 1. ill. 3. Hillig, Donell. *enucl. lib. 2. c. 20. lit. F.* Multò minus tandem patriæ potestatis capaces censerentur liberi ex coitu à lege vel planè improbato atq; damnato, vel permissò quidè, non tamen approbato nati: cum omnes liberi ex alio quam conjugali coitu nati non patrem sed matrem sequantur l. 19. 23. & 24. *π. de stat. hom.*

Ad §. 11. 7  
Origo patriæ  
potestatis.

VIII. Subjèctum patriæ potestatis excipit origo ejusdem. Imperator eam juri Romano transcribit in verb: *proprius est civium Romanorum, nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.* Cum autem hæc ipsa potestas, ex matrimonio, seu primâ & antiquissimâ imperii paterni causâ oriatur, *Arist. 8. Et 12. & 1. Polit. 2.* & proinde aliis etiam populis ante Romanos cognita satis erat, ideò reprehendunt hoc in casu Imperatorè Franc. *Conan. comm. jur. civ. lib. 2. c. 13. n. 2. Petr. Gregor. Synt. jur. univ. lib. 11. c. 5. Joh. Bodin. de Republ. lib. 1. c. 4. Nec minus Jacob. Cujac. in not. ad h. §. voci nulli particulam fere præponendam esse opinatur.* Alii vicissim, quibus defensio Imperatoris curæ magis cordiq; inter considerationem patriæ potestatis absolutam, quâ introductionem & substantialia spectatam, & inter relatam ac ad Rempubl. Romanam quoad approbationem ejus & informationem determinatam distinguunt: priori respectu juri Gentium, posteriori vero juri civili originem illius assignando *Hahn. ad Wesf. de J. & J. n. 2. ad verba. propria civium Romanorum. Dn. Struv. syntag. jur. civ. ex 3. th. 37.* Sed verò, licet hanc distinctionem ut veram & accuratam satis tolerari posse non diffitear, mihi tamen vix necessaria eadem videtur. Fundamentum sententiæ meæ ex l. 6. *π. de J. & J. peto, cujus verba hæc sunt: Jus civile est, quod neq; in totum à naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit. itaq; cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium i. e. civile efficitur.* Ut ut igitur jus civile patriæ potestati juri Gentium satis cognita particularia quædam adjecerit aut detraxerit, nec minus novis qualitatibus atq; effectibus specialibus eam auxerit juxta ac informaverit, id tamen nil impedit, quò minus ipsam quoq; patriæ potestatis essentiam & substantialia juri Romano transcribere valeamus. Cum enim forma det esse, rei, & patriæ potestas eam formam atq; naturam, sub quâ

in



in jure nostrò eadem consideratur, à Romanis accepèrit, idè ex  
eò omninò inferendum, illam & esse suam à jure Romanò acce-  
pisse ac proinde originem suam illi debere. Dn. Joh. Strauch.  
*disf. Justin. 2. 16. 3.* Et utiq; hæc ipsa sententia tum ex effectibus  
patriæ potestatis, tum ex causis eam constituentibus & dissolven-  
tibus abunde comprobatur. Vide *Erasm. Uingep. exerc. 3. q. 2.*

IX. Subjecto itaq; patriæ potestatis & origini huc usq; ex-  
plicatæ succedunt effectus ejusdem, qui vel circa personam vel  
circa bona filii fam. se exerunt. In personam filii etiam ante  
Respubl. ceptas patriam: jus vitæ & necis competiisse vel eò  
constat, quòd status familiarum ante vel extra Rempubl. & ho-  
mines illius vinculo consociatos consideratarum consistere aliã  
ratione & propagari ad posteros non potuisset, cum præsens non-  
dum Majestas humana fuerit, nisi familiæ Principibus in delin-  
quentes animadvertendi potestas propria tunc temporis fuisset. Et  
eam utiq; sententiam satis comprobant origo potestatis nostræ &  
iuncunabula. Postquam nimirum Protoplasti nunquam satis de-  
plorandam in DEUM commiserunt feloniam, Eva divinã senten-  
tiã maritali Adami in pœnam patrati primitus ab eã delicti sub-  
jecta potestati. Ex maritali hoc imperiò perfluxit immediatè  
potestas in matos ex viro & uxore, tanquam partes utriusq; deci-  
duas. Et licet Petr. Gregor. *Synt. jur. univ. lib. 11. c. 5. n. 5.* exemplò  
Abrahami, filium DEO victimam immolare volentis hoc ulterius  
probare velit, id tamen impertinentissimè judiciò Hillig. *Do-  
nell. enucl. lib. 2. c. 25. lit. A.* cum in illo casu non tam potestas A-  
brahama in filium competens quam speciale DEI mandatum at-  
tendendum, & præcepta in super Decalogi posterior prioribus ee-  
dere debeant.

Effectum pat-  
riæ potesta-  
tis circa per-  
sonam libe-  
rorum.

X. Utut autem Principi ceptis Rebuspubl. in dominicam  
& patriam potestatem eminentius quoddam jus dirigendi utrasq;  
ac moderandi proprium factum fuerit. Grot. *de J. B. & P. lib. 1. c. 1. n. 6.*  
Quamplurimæ tamè Gentes pristinam Patribusfam. olim  
competentem potestatem salvam retinuerunt ac integram: ipsis  
adeò Principibus tacitè concedentibus & consentientibus. Apud  
Ægyptios, certè parentes liberos suos trucidantes pœnã capitali vel

B

ex eã



ex eâ ratione non esse affectos, quod injustum ipsis videbatur, e-  
um ob interfectum filium vitâ privari, qui author illius fuit ex  
Diodoro Siculo restatur Petr. Gregor. *Synt. jur. univ. lib. 11. c. 5. n. 8.*  
De Gallis quoq; antiquioribus scribit Julius Cæsar *de bell. Gall.*  
*lib. 6.* viros in uxores sicut in liberos vitæ necisq; potestatem habu-  
isse. V. insuper Bodin. *de Republ. lib. 1. c. 4. n. 22.* Romanam Rem-  
publ. quod attinet, Patribusfam. à Romulô primô illius adorna-  
tore in liberos concessam potestatem in carceres detrudendi fla-  
gris cædendi, vincendi, victos ad rustica opera ablegandi & oc-  
cidendi deniq; non attento, eos interdum Reipubl. præfuisse, aut  
Magistratûs dignitate eminuisse, tum ex historiâ Romanâ  
scriptoribus & præcipuè Dion. Halicarnass. *antiq. Rom. lib. 2*  
*tum ex l. 11. π. de lib. & posth. l. 22. §. 4. π. ad L. Jul. de adult. l. ult. C. de*  
*patr. potestate* abeundè patescit.

XI. Et hôte jure patriæ potestatis Romanam Rempubl. di-  
utissimè steterisse quamplurimis exemplis comprobant Bodinus &  
Eneck. *d. l.* Inter ea tamen Romuleja hæc sanctio alicujus injustitiæ  
& iniquitatis minimè incusanda, ut Bachov. *ad §. 3. h. r.* sentire vi-  
detur: cum potestas ea non indiscriminim & sine causâ sufficien-  
ti ac justissimâ Patriâ Romulo sit concessa, sed potius ut ante  
Respubl. ceptas illi non nisi ex delictô capitali in caput liberorum  
noxium animadvertendi jus erat, ita nec de hâc Romuli sancti-  
one aliud censendum. Dn. Joh. Strauch. *disf. Just. 4. tb. 24.* Affe-  
ctus potius paternus & innata *σφοδρῆ* omnem præcludebat suspici-  
onem, parentes eò sævitia progressuros, ut siæ justâ & prægnanti  
causâ ex suo nato sanguine siat occisuri. Romani insuper condu-  
cere prædictæ potestatis rigorem ad continendam reverentiam &  
officium liberorum erga parentes, ac coercendam vicissim impi-  
etatem, in quam juvenes ex levitate & imbecillitate ætatis prola-  
bi facilè possunt, rectè existimarunt. Petr. Gregor. *Synt. Jur.*  
*univ. lib. 11. c. 8. n. 3.*

XX. Cæterum, postquam parentes non secus ac domini  
hâc potestate abusi, filios non rarò siæ causa sufficienti occiden-  
do, ideò privati meritò jure vitæ ac necis à Romulo iisdem antea  
concessô. An verò jure scriptô, ut nonnulli putant, an verò de-  
suetu-



suetudine & usu contrariò, uti Petr. Gregor. *d.l.* & Petr. Fab, *lib. 2.*  
*Semestr. c. 25.* sentiunt, id factum fuerit, re ipsâ parum videtur inter-  
 esse. In tempore certè Domitii Ulpiani Aurelii Severi Alexandri Im-  
 peratoris consilarii & sacrorum scribarum Magistri antiquarum  
 illud fuisse ex *l. 2. π. ad L. Cornel de Sicar* apprimè apparet. *Inau-*  
*ditum inquit, filium pater occidere non potest, sed accusare eum apud*  
*praefectum praesidemve provinciae debet.* Nec minus Pauli J. Cr. &  
 sic mediae Jurisprudentiæ ætate vigorem illum patriæ potestatis  
 mitigatum & abrogatum fuisse, ex præterito imperfectò  
*licebat in l. 11. π. de liber. & posthum.* hand obscure elici potest.  
 Fundamentum hujus abrogationis in eò utiq; consistit, quod pa-  
 tria potestas non in atrocitate, sed in pietate consistere debeat *l. 5.*  
*π de L. Pompej. de parric.* & filii meritis magis ad paterna obse-  
 quia quam pactionibus adstringendi, aut metu & vi retinendi *l. 35.*  
*C. de inoff. test.* Tantum tamen auctoritati paternæ & tunc tem-  
 poris de electum ac reservatum, ut si Magistratui delictum filii pu-  
 niendum detulerit, Judex in sententia dicendâ patris voluntatem  
 ac præscriptum sequi teneretur, juxta rescriptum Alexandri Im-  
 peratoris in *l. 3. C. de patr. potest.* Adde *l. 9. §. 3. π. de off. procons.* Quæ  
 tamen decisio in his tantum obtinebat, quæ ad injuriam patris  
 pertinebant, non autem quæ publicum exigebant exemplum Ant.  
 Fab. *ad Cod. lib. 8. tit. 32. def. 1. in fin.* Dn. Mev. *ad Jus Lubec. lib. 1. tit.*  
*3. n. 14.* Alioquin secundum textus prædictos olim à Scabinis  
 Lipsiensibus pronunciatum esse testatur Carpz. *pract. crim. p. 2.*  
*q. 100. n. 34.*

XIII. Ex constitutione tandem Valentiniani & Valentis Im-  
 peratorum in *l. unie. C. de emend. propinqv. l. 3. & 4. C. de patr. potest.*  
 moderata tantum castigatio & jus terminandi decidendiq; con-  
 troversias domesticas patri relictum est. Quod si verò delicti  
 gravitas domesticam hanc emendationem excesserit, decisoria  
 Judicis sententiæ pœnæ determinatio simpliciter subjici debebat.  
 Jacob. Cujac. *obs. lib. 4. c. 12. & lib. 6. c. 17.* Id quod legi quoq; divi-  
 næ satis conforme, quâ filius immorigerus in publicum & ad se-  
 niores sui magistratus produci jubetur, non quidem ut illi cædis  
 spectaculò oculos pascant, sed ut de jure vel injuriâ facti cogno-  
 scant, & ut omnis cædes auctoritate & judiciò publico, non pri-



vatō fiat arbitriō. *l. ult. C. de malef. & matb. Georg. Acac. Eneenk. de  
 privil. par. & lib. c. 1. n. 7.* Et certè, ut ad Romanos nostros rede-  
 amus, illi Græcorum omnem filiorum castigationem non ad pec-  
 cati gravitatem, sed pateram referentium charitatem exemplō,  
 non poterant non ad moralem hanc mansuetudinem perducī.  
*Anton. Perez. prel. ad Cod. de emendat. propinq. n. 1.* Utrūq; igitur  
 mihi nondum deprehendere licuit, quōd motus fundamentō Joh.  
*Bodia. de Republ. lib. 1. c. 4.* fuerit, ut jus vitæ & necis patribus in li-  
 beros restitui debere, idq; tum divinā tum naturali lege, omnium  
 antiquissimā, jubente, asserat. Et si enim ex laudabili Romulī  
 intentione potestas ea ad retinendū eō sancti, liberorum obsequi-  
 um multū omnino facere videatur, si hi in parentum suorum  
 manu ac potestate vitam fortunāq; omnes sibi sitas esse in-  
 telligant; Vicissim tamen publicæ disciplinæ ratio & auctoritas,  
 nec minus abusus prædictæ potestatis, incrementa quotidiè capes-  
 sens, dissuadet, ut singulis concedatur, quod per Magistrarum  
 publicè fieri potest *l. 176. de R. J. Magna enim res est, inquit Eneenk.  
 d. l. n. 5. de capite alterius & fortunis statueri posse, non igitur cuiq; pri-  
 vatim, sed his quibus reliqua creditur Respubl. hoc est, magistratibus &  
 judiciis permittenda.* Nam licet in potestate parentum liberi, & pars  
 quodammodo sint illorum: licet dominus rei suæ quisq; & moderator  
 ac arbiter sit *l. in re 21. C. mandati; justumq; sua cuiuslibet committere  
 l. 9. C. de Judæis nec ulli hominum jus suum detrahendum sit l. 2. ff. de his  
 qui sui vel al. jur. sunt. hoc tamen omne cum moderatione certā & ob-  
 servatione juris publici est accipiendum.* Nam & Respubl. jura sua ha-  
 bet, & (ut non liberis modò sed parentibus quoq; major) privatis longè  
 potiora. Quippe huic etiam liberi non parentibus tantum nascuntur  
*l. 1. §. & generaliter 15. ff. de ventr. in poss. amitt.* Huic expedit, nè quis  
 re suā malè utatur, nè, quod in omnib; hominum generibus publici iudicii  
 est, in unò solo sine causa digna privato arbitrio permittatur.

XIV. Remanserunt interim reliquæ antiquioris illius po-  
 testatis in casu, quo pater filiam in adulteriō deprehendit *l. 20. π. ad  
 L. Jul. de adult.* Id quod tamen Joci tunc demum procedere pu-  
 tant, si pater filiam ἐν ἔργῳ seu ipsò opere ac actu turpi deprehen-  
 dat *l. 23. π. π. ad L. Jul. de adult.* Pater itaq; hanc potestatem in fi-  
 liam



liam in apparatibus tantum veneriis, colloquiis forte conviviiis ac tactibus illicitis, ut Glossatores ad d.l. lit. Z. differunt, deprehensam exequi non potest. Nec minus & illud alterius requirunt, ut pater adulterum non saltem, sed & adulteram uno prope ictu unoque impetu ira aequali adversus utrumque, incensus occidat: ne habitò fortè personæ respectu & discrimine personæ magis quam delicto irasci videatur d. l. 23. §. 4. Cædes tandem illa à patre in continenti & quidem in domo suâ vel generi sui expedienda: majorem quippe injuriam censuerunt Latores Romani, pando in domum patris aut mariti filia adulterum inducit, quam si in domo extranei id ipsum factum fuerit l. 22. §. 2. l. 23. §. 4. p. d. t. V. Georg. Acac. Enenk. de privil. parent. §. lib. c. 5. n. 30.

XV. Extra casum itaque prædictum haud permissum patri occidere filium in sua existentem potestate, utut filius ad iram delicto graviore patrem commoverit. Quod si tamen extrema filii malitia id tandem à patre impetraverit, ut ipse domestico magis quam publico exemplò illum extrema meritis & sceleris capitalis reum interfecerit, ipsum non ordinariâ parricidii pœna sed extraordinariâ, & mitiori puniendum esse testatur Wesenb. parricid. Dig. tit. ad L. Pompej. de Parric. n. 6. Cujusmodi exemplum ex Paul. Frideborn. in Chron. Stetines. lib. 3. laudatum magis quam punitum adducit Dn Mev. ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 3. n. 10. Hodiè potius imperium paternum moderatioris castigationis, plus pietatis quam acerbitatis continentis, terminis circumscriptum. Ita tamen, ut pro re nata, & si liberi ad meliorem frugem redire nolint, pater eos ergastulis, germanicè Zuchthäusern/ qualia Amstelodami, Bremæ, Hamburgi, Rostochii, sunt, teste Besold. Thesaur. pract. verb: Zuchthaus & Speidelio in notab. hist. jur. polit. lib. 2. n. 10. in verb. Zuchthaus includere valeat. Reinking. de R. S. & E. lib. 2. cl. 2. c. 7. Hahn. ad Wesenb. tit. de obseq. parent. & patr. pract. Et licet aliàs privati carceres aded prohibiti, ut eos instinuens certò respectu notam læsæ majestatis incurrat l. unic. C. de priv. carc. inbib. quod si tamen pater filium immorigerum & graviter delinquentem propriâ autoritate certo cuidam conclavi includat, pœnâ privati carceris non teneatur, quod non ob custodiam, sed morum



filiū emendationem ipsum id fecisse præsumatur A. Fab. in *Cod. lib. 8. tit. 32. def. 1.* Carpzov. *pract. crim. p. 2. q. 100. n. 30. Dn. Mev. d. l. n. 11.*

XVI. De cæterò, ex potestate occidendi liberos jure Romano patribus concessâ non poterat non potestas alienandi eos & vendendi descendere. Equidem cui licuit id quod majus est, non poterat non licere quod minus est *l. 21. ff. de R. J.* Circa dubium autem occisio majoris censerī debet momenti, quàm alienatio, cum priori casu res pereat planè, posteriori autem salva ac integra permaneat. Sed enim, uti occisio non nisi præviâ sufficienti & justâ causâ licita ac permessa, ita hæc distrahendi potestas ad casum saltem extremæ necessitatis ex egestate & paupertate subortæ tantum restricta, & eâ quidem conditione, ut vel pretiò euntori à patre vendente restitutô vel aliô mancipiô oblatô pristinae cænfestim restituatur ingenuitati *l. 2. C. de patr. qui filios suos distr.* quum servitus non videatur invalisse, sed libertas tantum paulisper interquievisse & cessasse. *Connan. 2. comm. jur. civil. c. 13. n. 4. Hillig. Donell. enucl. lib. 2. c. 25. lit. J.* Extra hunc necessitatis casum autem parentibus potestas alienandi liberos minimè competere iuste haud improbaliter ex *l. ult. C. de patr. potest.* colligi potest Quàm maximè quod generale illud axioma, liberi hominis non esse commercium, illam sententiam stabilire videatur. *Me ill. lib. 2. obs. 6. 4. Perez. prælect. ad Cod. de patr. pot. n. 3.*

XVIII. Cum itaq; causa hujus distrahendi liberos potestatis non sit patria potestas, sed necessitas, & verbis si quis generalibus & in *d. l. 2. à JC usurpatis arg. l. 1. ff. de V. S.* etiam fœminæ comprehendantur, ideò matri quoq; & avo eam competere asserimus. *Hahn. ad Wesf. de his qui sui vel al. jur. n. 2. in verb. distrahere* Dissentit *Perez prælect. ad Cod. tit. de patr. qui fil. distr.* sed satisfecit illius rationibus *Hahn. d. l.* Neq; hoc jus distrahendi Romanis tantum proprium, sed aliis quoq; gentibus quinimò juri naturali conveniens esse probant *Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 5. n. 5. Covarruv. 3. var. resolut. 14. n. 4. Petr. G egor. synth. jur. univ. lib. 11. c. 5. n. 5. Hillig. Donell. enucl. lib. 2. c. 25. lit. G.* Cum enim venditio sui ipsius juri naturæ præcisè non repugnet, nec venditio filii cuius partis eidem repugnabit. Et ipsa utiq; natura conferat jus dare ad id omne,  
fine



sine quò id, quod ipsa imperat, obtineri non potest. Quinimò majorem natu & judiciò pollentem, ut in sui venditionem consentiat, pietatem, propter quam cum suo etiam in commodo, ut parentes conserventur, ipsemet cooperari obstrictus est, svadere scribit Dn. Zigl. *ad Grot. d. l. Moribus tamen hodiernis patri filium ob egestatem vendendi potestatem ulterius non competere tradit Ant Perez d. l. Potius, si istiusmodi casus contigerit, Magistratus ex officio egenti subvenire debet, Græneweg. LL. abrog. ad. d. t. Dn. Struv synt. jur. civil. ex 23. th. 28. Multò minus igitur potestatis hujus efficacia ad religionem liberorum ac spiritualia extendi poterit c. ult. de Judic. in 6. Dn. Mev. comm. ad Jus Lubecc. lib. 1. tit. 3. n. 17. Et ex hinc patrem literos monasteriis devovere non posse, quod vota liberæ debeant esse voluntatis asserit Dn. Zigl. in not. ad Lancell. Inst. tit. de regul. & monach. §. 2. in verb. ex paternâ devotione. Ulterius ex reverentiâ, quâ patria potestas præcipuè nititur, & illud descendit, quod filii parentes sine venia in jus vocare non poterunt, l. 4. l. 3. π. de injus voc. poenâ 50 aureorum in reluctantes constitutâ l. fin. d. t. Hanc tamen veniæ impetrationem ab usâ recessisse testantur Carpz. *Jurispr. Forens. p. 1. const. 2. d. 26. Dn. Struv. syntagm. jur. civ. ex. 5. th. 9. & ex feud. 11. th. 3.**

XVIII. Effectibus patriæ potestatis circa personam filii se exferentibus illi succedunt, quibus bonâ filiorum respiciunt & afficiunt; In eò potissimum consistentes, quod quicquid filius acquirat, omne id patri acquiratur. Sed verò, de illâ acquisitione inferius *ad tit. per quas pers. nob. acquir. commodius* agetur. Hic saltem notâsse sufficit, liberos ad parentes inopes & suâ industriâ sibi prospicere non valentes, alendos obligari ac teneri, l. 5. §. 7. π. de agnos. & al. lib. l. 5. C. de patt. potest. Naturali equidem rationi & paternæ reverentiæ congruum, ut liberi patri egenti subveniant d. l. 5. §. 16. & l. 50. in fin. π. ad SC. Trebell. Ex quò ipò & illud simul patescit, hanc alendi necessitatem immediatam ac solitarium patriæ potestatis effectum minimè dicendum. Cum enim fundamentum illius in pietate & reverentiâ, qua liberi parentibus obstricti, ponatur, ideò nil videtur interesse, pater an verò mater inopiâ laboret liberorum quibus indigeat auxiliò. Nec patriæ potestatis


Effectus patriæ potestatis circa bona liberorum.



eis vinculum hic attendendum, sed emancipati ac sui juris facti, non secus, ac in potestate adhuc constituti ad parentum sustentationem hæreat obligati l. 5. §. 1. & 3. π. de agnos. & al. lib. V. Georg. Acac. Erenk. de privil. parent & lib. c. 6. Illud tandem quæ substratam materiam notatu dignum cenleo, quod pater ad æqualem bonorum suorum distributionem inter liberos faciendam non teneatur, sed vel uni ex illis majorem etiam eorum partem subsidium sustentationis tam inter vivos tradere, quam in ultimâ voluntate relinquere possit: dummodo reliqui exinde legitimæ portionis jacturam non sentiant. Carpz.

J. F. p. 2. const. 12. d. 37.

## TANTUM.



**I**ngenium studiò si non acuatur, hebescit;  
Ut telum, assiduam cos nisi præstet opem  
Macte istoc animò, letus conscende cathedram  
Et bene collectas divide mentis opes.  
Fac Pater in natò vivat, fac dona supersint  
Mi SVEVE, & fies dulce decus patriæ.

In honorem & favorem præximii  
DN. SVEVI, Magni parentis magna  
spei filii, cum appreciatione omnigena  
prosperitatis hæc apposuit.

PRÆSES.

OS(O)SD  
8